

vantur Artic. 69. et 71. Anni 1655., Articulus 32. Anni 1649., Art. 50. Anni 1647., Art. 42. Anni 1638. \*)

§. 1. Et ad Effectuationem ipsorum Articulorum, ex parte Regni Commissarii, in praecitato Articulo 71. Anni 1655. antea denominati; iterato ordinantur: Quibus sua quoque Majestas ex parte sua, certos Commissarios cum plena authoritate adjungere et praemissos toties repetitos, confirmatosque Articulos, benigne effectuare; et ea occasione, per eandem Commissionem, Domino quoque Comiti Petro a Zrinio, ratione certi Pagi Valachici, Gomerie vocati, competentem satisfactionem impendi curare, benigne dignabitur:

§. 2. Hoc loco, pro parte Venerabilis Capituli Zagrabiensis; renovatur Art. 119. Anni 1647.

*De Collatione Officiorum Militarium, in Confiniis Croaticis et Sclavonicis, conferendis.*

#### Articulus 97.

In Capitaneatibus et aliis Militaribus non solum Croaticorum, sed etiam Sclavonicorum Confiniarum Officiis, Majoribus et Minoribus per suam Majestatem conferendis; observentur, Articulus 63. Anni 1647. et Articulus 31. Anni 1635. \*\*)

§. 1. Alioquin, eorum quoque Articulorum effectuatio, in praescripta Commissione Viennensi complanari possit.

*Articuli, de Foenilibus Regnicolarum per Confiniarios non depascendis; renovantur.*

#### Articulus 98.

Articulus 43. Anni 1647. et Articulus 57. Anni 1655. de Foenilibus Regnicolarum per Confiniarios et alios ab ipsis assumptos non depascendis, renovantur: Ac denuo statuitur; ut ipsi Articuli, tam in Ungariae, quam Sclavoniae et Croatiae Regnis, exacte observentur. \*\*\*)

*De modo Educationis Militis Germani, ex Arce Varasdiensi, fiendae.*

#### Articulus 99.

De Educatione Militis Germani ex Arce Varasdiensi; Articulus 36. Anni 1649. renovatur:

§. 1. Quem etiam sua Majestas, praevia Domus Armamentariae et Annonariae in eadem Arce hucusque habitae, aestimatione; ejusdemque per Do-

\*) Confirmatur; An. 1681. a 77. et novissime; An. 1741. a. 56.

\*\*\*) Confirmatur et declaratur; An. 1681. a. 70.

\*\*\*) Urgetur; An. 1681. a. 73.